



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

Articul. I. De Demonstrationis essentia, & Divisione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

gismum reduces ad *Barbara*. Si verò alteram universalem negativam habeas, & affirmativam alteram, reduces ad *Celarent*. Pariformiter dignosces, quando ad *Darii*, vel ad *Ferio* instituenda sit reductio.



DISPUTATIO III.

De Demonstratione, & Scientia.

ARTICULUS I.

De Demonstrationis Essentia, & Divisione.

597. **D**ico 1. Quemadmodum discursus variè considerari potest, ita quoque demonstrationis multiplex est acceptatio. Ac primò quidem *causaliter* accipitur, sicque consistit in solis præmissis demonstrativis, i. e. certis & evidentibus, quæ *faciunt scire causaliter*, dum conclusionem certam & evidentem causant, quæ est ipsa scientia actualis. Subinde *Formaliter* sumitur; & sic accepta in conclusione demonstrativa consistit, quæ tanquam forma intellectui inhærens, eum denominat *formaliter scientem*. Denique accipitur quandoque pro artefacto logico, quod Syllogismus demonstrativus appellatur; sic accepta tam in præmissis, quàm in conclusione consistit, facitque scire tum *causaliter* per præmissas, tum *formaliter* per conclusionem.

598. *Dico 2.* Demonstratio alia à priori, alia à posteriori nuncupatur. *A Priori*, quæ etiam *propter quid* dicitur, est illa, quando effectus per suam causam, aut consequens per antecedens demonstratur. Perinde autem est siue causa sit *Physica*, quæ causalitate physica effectum producit, v. g. *si sol est, dies est; sed sol est, ergo dies est.* Sive sit *Metaphysica*, quæ est radix suarum proprietatum, quas emanare dicitur: sic proprietates emanat suas essentia cuiusque rei. Per ejusmodi causam demonstratur effectus metaphysicus, siue proprietas de homine, si dicas: *Omne rationale est admirativum; Omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admirativus.* *Demonstratio à Posteriori*, quæ etiam demonstratio *Quia* dicitur, est: Quando causa per suum effectum, vel essentia per proprietatem demonstratur, ut si demonstrates Deum per creaturas, aut rationale per risibile.

599. *Adverte hic I.* In omni demonstratione præcognosci debet *subjectum*, de quo aliquid demonstratur; *Prædicatum*, quod demonstratur de subjecto; *Principia*, siue *Præmissæ*, ex quibus aliquid demonstratur. II. *Subjectum* demonstrationis possunt esse *Res universales*; nam, teste Aristotele, *de universalibus dantur scientiæ*: sic de homine in communi demonstratur *Risibile*. Imo *Res singulares* demonstrari possunt, v. g. *Deus, Sol, Luna*, de quibus demonstrationes existunt. III. Demonstrari etiam, possunt *Entia per accidens*, v. g. *Numeri*, de quibus demonstrationes habet *Arithmetica*.
IV. Non

IV. Non omnia demonstrari possunt à priori, sed ea tantum, quæ habent suam causam. Hinc non demonstratur à priori Deus; nec essentiarum rerum saltem *proprie*, cum nihil habeant prius se; nec illa, quorum causa certa non habetur; ut sunt entia fortuita, & casu facta. V. Demonstratio strictè talis ex meris consurgere affirmativis debet; Si enim conclusio negativa sit, non scimus *quid res sit*, sed tantum *quid non sit*. VI. Demonstratio & scientia distinguuntur ut actus, & habitus; nam ex demonstratione sæpius repetitâ nascitur scientia. Quòd si verò scientiam actualem intelligas, hæc cum demonstratione formaliter tali coincidit.

ARTICULUS II.

De Præmissis Demonstrationis.

600. **N**ota I. *Veritas* actus dicit solam conformitatem actus cum objecto. *Certitudo* dicit insuper infallibilitatem vel *absolutè*, vel *hypotheticè*, & firmam adhæSIONEM intellectus præstitam. *Evidentia* dicit prætereà claram objecti veri apparentiam. Tum certitudo, tum evidentia duplex est: *Objectiva* nimirum, & *formalis*. *Certitudo objectiva* est ipsius objecti immutabilitas, & necessitas, quæ aliter se habere nequit. *Certitudo formalis* est adhæSIO intellectus absque omni dubio, & metu ad oppositum. *Evidentia objectiva* est in objecto ita clarè repræsentato, ut intellectus ad assensum rapiatur. *Evidentia formalis* est in cognitione, & repræsentatione objecti tam vivaci, quasi in-